



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 7. Icilini immanitates.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

VII.
ICILINI IM-
MANITATES.Carol. Sigon.
lib. 18. de reg-
no Italiae, &
lib. 19.

Sed quamvis tu sanctus sis, vide ne alienorum scelerum te participem efficias. Velenim consentis, vel consulis, vel iuvas, vel approbas, in quo alter delinquit, & iam iustam Deo Iudici causam offers tui plectendi. Quod & Alberico contigit, Icilino fratri suo sceleratissimo adherenti; in quo, si cetera illi crimina defuissent, solo mille mortes meruisset. Audite, obsecro, qualis fuerit Icilinus. Is primò *ultra se Verona dominum appellavit, atq; ibi & Patavij primoribus civitatis per varias causas interimendis intentus, eas civitates in tantam salutis propria desperationem adduxit, ut plerique, ne illius criminationis iniquo iudicio publicè interirent, ultra sibi mortem consciscerent.* Postea Icilinus Veronam reversus, eò impotentius questiones proditoris exercuit, atq; omnes qui Verona, & Patavij aliquid aduersum se vel dixisse, vel fecisse dicebantur, publica ac foeda morte affecit, quos innumerabiles fuisse accepimus. Tertio, quin & Patavij inaudita crudelitatis suæ habenas ita laxavit, ut nullum diem præterire pateretur, quo non in aliquem vel infontem nouo aliquo necis genere tormentiue debaccharetur. Quarto, Icilino bello Mantuano parum prosperè factò, Veronam se referenti priuatus homo se obtulit, atque, audientibus omnibus, Patavium amissum renuntiavit. Quo ille nuntio exanimatus, ut se collegit; ipsum nuntium mendaciy arguens suspendi arbori iussit; deinde alter successit, qui se greò illud idem significauit: tum Praefecti quidam eum venerunt, qui idem, culpam omnem in Ansedisium referentes, asseruerunt. Ille verò occulto dolore dissimulato, Veronam adiit, ac toto accito in urbem exercitus, portas claudi, ac summa cura custodiri mandauit. Mox conceptam iram omnem in Patavinos euomere cupiens, omnes Patavinos inermes in locum unum coëgit (hi erant XI. hominum millia, quos apud se aut obsidum, aut militum, aut ministrorum nomine habebat) atq; omnes satellitibus suis, varijs necis afficiendos generibus, tradidit. Ita intra octo dies cuncti aut suspendio, aut igne, aut obruncatione, aut fame deleti. Quintò, Veronæ quoque triginta octo Patavinos, qui superstites erant, morte affici in foro praecepit, quorum nemo erat, qui non eò aliquam aliquando operam fortem fidelemq; nauasset. Sextò, hæreticus fuit, qui non solum libertati populi, sed ipsi Ecclesiae infidiabatur. Ob quæ scelera, cum captus ærumnam suam lugeret, Deum suorum scelerum vindicem adesse confessus, sine pœnitentia homo

omnium

omnium sceleratissimus, ac Deo hominibusq; inuisus, annos LXV natus
decessit. Atque hoc pacto in illo & fratre eius Alberico, filijsque
eius miserrime deartuaris extincta est tota familia à Romano.

His intellectis, quid jam iudicatis, Auditores? an his fratri-
bus iniuria facta est? An non hi tyranni hæc, & maiora merue-
runt supplicia? An non ipsi quodammodo Deum docuerunt pu-
niendi severitatem? Si enim homines tam graviter sæviunt in se
in vicem; & quidem in innocentes, an non & supremus ille iudex
in tam nocentes debet irasci? Quod ipse commonuit dicens: *In*
quo iudicio iudicaveritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fue-
ritis, remerietur vobis. Neque turbare quemquam debet, quod fi-
lij sex Alberici, itemque vxor & filia duæ, quæ innocentes vide-
bantur, vnà cum facinoroso patre, tam immiti exemplo per-
missæ sint cruciari & contrucidari. Nam in primis etiam victores
in ea cade atque vindicta excedere, & graviter peccare potue-
runt; neque tenetur Deus peccata hominum, contra communem
cursum naturæ, impedire, ne ipsidem adimat agendi, hoc est, pœ-
nas aut præmia promerendi libertatem. Sufficit si vnicique dat
gratiam sufficientem, qua, si velit, possit pœnas æternas vitare,
atque præmia promereri. Deinde quis scit, an fuerint innocentes?
quàm enim difficile est vxorem marito, & filios parenti non con-
sentire, aut facta illius non approbare, potentiam non optare, &
quocumque tandem modo promovere? Et esto aliqui (vt sæpe fit)
fuerint innocentes ac talibus malis per se non digni, tamen sine
iniuria à Numine illata, propter coniunctionem vitæ & habitati-
onis, communi malo inuoluebantur. *Sicut enim in corpore natu-*
rali membrum quodlibet est particeps commodorum & incommodorum
ipsius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiam si casus
sam cum alijs non dedederit, communis prosperitatis & calamitatis est
consors. Neq; aliter iuxta ordinariam rerum legem fieri potest ob com-
morationem in istorum cum iniquis, quibus sunt permixti, & in quorum
medio degunt. Itaq; respectu talium, illa afflictio non tam est pœna, qua
sorum peccata vindicantur, quam exercitatio virtutis & patientia ad
maiores gloriam.

Nemo tamen facile in animũ inducat, se talem afflictionem non esse
conmeritum; hoc enim est quod Dominus graviter in S. Iob reprehendit,

VIII.

QVAM IVSTE
A DEO HIS SVB
CALAMITAS
FVERIT PER-
MISSA?

Matth. 7. 2.

Leonard Less
lib. 13 de per-
fectionib. diu
cap. 12.

IX.

NVLLVS DEBE
SE INNOCEN-
qui TEM PVTA
RE